

obuiam inimicis ire non auderent. Vnus pene Athanasius acerrimus catho-
lica fidei propugnator: Locum in toto orbe: ubi uitā duceret: nisi apud
uiduam sex ānis delitesceret in Galliis non inuenit. Quinimmo quod ne
fas dictu est: Imperatoriæ quoq; coniuges de fidei articulis sententiam fe-
rebant aduersus antistites sanctissimos atq; doctissimos. Cum iterea Ro-
māis pōtificibus nihil esset reliqui: nisi ut ad potestatem a Christo & æcclē-
sia permissam se se conferrent. Anathematibus agerent & censuris: ut ip-
sis quoq; non pepercerint interdum imperatoribus. Sed quid proficerēt?
Enimuero capitale aliud non minus suboriri malum. Heresiarchæ siqui-
dem a conciliis uel a pontificibus damnati honoribus spoliati: tum popu-
los accendere contra pontifices damnare ausos imperatores. Scriptum re-
liquit Augustinus in libro de heresibus. Hircanum Episcopum octo et ui-
ginti supra centum collegisse hereses ad eam ætatem. Extat præterea hic
ronymi epistola ad Damasum pontificem ubi de hoc furore æcclesiæ
orientalium lamentatur. Quanta autem ab heresibus illis mala sint con-
sequuta: Quis dicat? Siquidē Imperium hereses primum conscidere: Pau-
lo deinde post euertere. Postremo inuoluere bellis uniuersum pene orbē
& omni affligere genere calamitatum. Ab his enim tandem emerisit Sara-
cena atq; in eam ceteræ omnes conspirauere: Vt paulo post uidebimus.
Abducta siquidem a Cōstantino in orientem magna senatus parte & Ro-
manorum præterea robore militum Tribunisq; & centurionibus: Et quic-
quid erat in Romanis legionibus firmissimum. Imperium apud Italiā
tam re q̄ nomine uelut exangue destitutum est. Et facile quidē Constanti-
nus dum ducere spiritum licuit maiestatem Imperii inueterata uirtutis
opinionē ab omnibus Barbaris intactam inuiolatamq; dedit. Postea uero
q̄ ad Constantini liberos & nepotes est transmissum: Qui Summam po-
tuerant gloriam in Catholicorum persecutiōe sanctorum conuersa sunt
omnia. Constans siquidem Catholicus qui Romam tenebat facile a Ma-
gnetio tyranno in Galliis est oppressus. Quum satis illi uirium non ad-
fuerit ad irruentem in se hostē propulsandum: Auxilia autem a Constantio
fratre seu ob religionis perfidiam Arrhianæ: seu ob regnandi libidinem
ægrius submitterentur. Valens inde hereticus Constantini nepos acerrime
omnium catholicos est persecutus. Nec horrendum minus piacu-
lum eius posteris iisdē hostibus persoluunt: ut paulo post dicemus. Omī-
to præterea quantum mutatione loci ut ceteris in rebus natura solet Ro-
mana soboles in deterius sit delapsa. Non amplius maxima illic roma-
norum procerum nomina audita sunt. Vnus Theodosius (& is quidem
hispanus genere) arrogatus in Imperium a Gratiano: Romanam repræ-
sentauit uirtutem. Multum armis multum religione. Cæterum cum eo
quoq; romana uirtus cecidit. Neq; mirum hoc accidisse. Italiam relinque

b ii

*conferre à Pontificis
illate hereses augent
tantū abest ut proficiat*

*hereses imperia etq;
respub. diuidunt ac
euerunt*

*Imperij romani uim
in Cōstantinop. quæ
in extremis terris ab-
ducta*